

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Dissertatio Inavgvralis Medica Sistens Paradoxa Medica  
Secvli XVIII. Paene Affecti**

**Langenbeck, Conrad Johann Martin**

**Ienae, 1798**

**VD18 12442488**

**II. Vis Vitae.**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8175**

midum, quod ventriculos cerebri alluit, pro animi domicilio haberi.

## II. VIS VITAE.

**H**ominem viuere colligimus ex variis animi corporisque motibus, vim vitalem partibus corporis insitam inesse hinc coniectamus, quod irritamentis externis ac internis afficiantur et in motus cieantur, quiescerē, sicuti absint stimuli, imminui et prorsum tolli, si aptitudo recipiendi stimuli vel paullum infracta, vel prorsum sublata est. *Vitam ergo quaerimus in solidis repositam, et si non desint auctores magni nominis, ALBINVS \*), PLATNERVS \*\*), METZGERVS \*\*\*), VAN MAANEN \*\*\*\*), BRANDISIVS †), SOEMMERRING ‡), OSIANDER ††) cet. qui fluidis eam vim vnicē adscribant.* Habent singuli sua argumenta, quibus opinionem nouam confirmare ac stabilire audeant, ego vero, quae vis vitalis in aqua ceterisque

B 2

fluidis

\*) De Natura. Hom. §. 31.

\*\*) Quaeſt. physiol. L. II. p. 179.

\*\*\*) Exercit. anat. p. 147.

\*\*\*\*) Diff. de Absorpt. solidor. L. B. 1794.

†) Von der Lebenskraft S. 16.

††) L. cit.

†††) Neueste Denkwürd. B. I.



fluidis inesse possit, mihi animo singere non possum. Vis enim vitalis requirit insitam quandam agendi potentiam, quae, admoto stimulo, possit, ut ignis ex silice, euocari et in actum peruenire, fluidum vero quodcumque per se sine solidis nec mobile, nec agile esse solet, pendet ergo ab incitamento extra positio et applicato, ideoque mihi habere videtur, si quid largiendum affirmantibus sit, vim passuam, ut recentiores medici, morbos actiuos et passivos statuentes, nominant, et si quae vera notio verbo subiecta sit, equidem non satis video. Mihi enim pati et agere videntur esse opposita.

Neque vero de hoc solo disceptatur, sed etiam de natura et sede vis vitalis propria. Si vita hominum est vrica, videtur etiam vis illa, unde vita pendet atque dimanat, una putanda esse. Jam vero alii adsumunt plures virtutis vitalis formas, contractilitatem, irritabilitatem et sensibilitatem, eamque ita distribuunt, ut cuique visceri, quatenus actum ostendit, vitam propriam et stimulos proprios sive specificos attribuant, quasique in infinitum multiplicent. Sed neruis sensum inesse negant viri clarissimi, REIL et RÖSCHLAVB \*), animoque soli adscribunt, ambigua ergo reddant placita physiologica et pathologica, huic functioni, tanquam fundamento, superstructa. Cadit ergo

\* Unterschr. über Pathogenie P. I. p. 219.



et ipsa irritabilitas specifica, id est, vita organi propria. Alii solam irritabilitatem, alii solam sensibilitatem \*), alii denum utramque \*\*) vim locum habere posse contendunt, BRUNO \*\*\*) in incitabilitate ponit vitae omnis contentem et scaturiginem, ait iterum cl. NOSE \*\*\*\*) vim vitalem esse vnam, vniuersalem, necessariam, sed incognitam. Quaeritur ergo et disputatur acerrimo animorum motu de vi vitali eiusque natura, neque sciunt opinionum auctores et coniecturarum artifices, quaenam illa sit, et quo in loco habenda, virtus, aptitudo, an qualitas dicenda videatur. Denique errasse omnes scribit cl. RÖSCHLAUER, vitale principium nihil esse, nisi quandam *organicae* materiae facultatem impressiones externas assumendi et reddendi, vim vero dicendam esse minime, vitam ipsam sine stimulis externis esse et consistere nullo modo posse cet. Quid ergo vita sit, nesciunt omnes, et tamen, quasi recte scirent, decernunt, ut iudices in tribunal iudicantes, in fontes vitae paullo ambitiosius inquirunt, visis externis freli, falli nescii, at vero fontes, e quibus hauriunt, certi et satis limpidi sint, an turbidi, non inquirunt. Deliris ergo et suauiter blaterantibus similes mihi  
esse

\*) Schäffer Vertheid. d. Sätze über Sensibil. als Lebensprincip. Frankf. 1795.

\*\*) Metzger über Irritabil. u. Sensibil. als Lebensprincip. Königsb. 1794.

\*\*\*) Elem. Med. P. I. c. 2. §. 14. p. 3. ed. Mediol.

\*\*\*\*) Vid. Schäfferi lib. cit. p. 47.



esse videntur, cuim quili audacter affirmant, tum qui praefracte negant. Nusquam est, quod studiosissime quaerunt vel ostentant, hinc contortulae conclusiunculae, quae in utraque parte legimus propositas, recte dixeris docta deliramenta, intra quae veritas vix et ne vix quidem consistere possit. Etiam BRUNO scribit vitani a solis extenuis stimulis proficisci. Audio, sed scire cupio, unde motus cordis perpetuus sit, quomodo vita perpetuare possit in syncopticis, quibus nullum incitamentum extrinsecus allatum est.

### III. VIRES NATVRAE MEDICATICES,

Legitur apud vetustissimum auctorem, HIPPOCRATEM, decretum per secula longe clarissimum, *natura est medica, hinc posteriori aetate superaddita est alia lex, medicus naturae minister, non dominus.* Videbatur ea naturae vis atque potestas, quia morbos et acutos, et longos, vel sine medicis, vel cum peruersa medicina, sponte ac tuto curat, adeo firma, immutabilis et inconcussa esse, ut medici Hippocratici sine ea nulli esse vellent, et prudenter applicando ista pracepta vires corporis commode dirigerent, nimias i. e. incitatas minuerent, depresso*s i. e. debilitatas erigerent, vacillantes sustentarent, eaque via morbos ad bonum*

